



Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1581 usque ad annum 1589

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1772

VD18 90118650

§. 96. Titulus XVI. De cœmeteriis, & mortuorum cura.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-67246](#)

Sæcul. XVI. monium erga Deum, & Ecclesiam suam
A.C. 1584. largitione cappæ, seu casulæ, exhibeat,
 cujus pretium capitula Ecclesiarum desig-
 nabunt & ad illud persolvendum pro fla-
 tutis Ecclesiarum compellatur.

Canon IV. Ornamenta illa Eccl-
 esistica, & sacra vasa nullis unquam pro-
 fanis usibus applicentur, sub pena majo-
 ris excommunicationis, & sacrilegii: si
 quæ autem temporum injuria profanata
 sint, iterum benedicantur.

Canon V. Instituantur, ubi non sunt,
 Sacristæ, sive custodes in qualibet Eccl-
 esia, qui curam ornamenti, & rerum
 Sacrarum habeant: et si quæ vestiaria,
 aut Sacristiæ profanis usibus cesserint,
 seu bellorum injuria, seu Ecclesiasticorum
 incuria, mundentur, & in pristinum sta-
 tum restituantur.

§. XCVI.

Titulus XVI. De cæmeteriis & mor- tuorum cura.

Titulus decimus sextus loquitur de
 cæmeteriis, cura mortuorum, ut
 de Purgatorio, ubi ex viginti, & uno
 Canonibus primus ita habet: *Curent*
Episcopi omnes hujus provinciæ, ut com-
memoratio animarum pro iis praesertim
instituta, quæ singulares apud Deum in-
tercessores non habent, pie celebretur a
populo, nullisque profanis operibus sol-
vatur.

Canon

suam
ubeat,
desig.
ro fla.
Eccle-
pro-
majo-
ji: si
fanata
i sunt,
Eccle-
rerum
liaria,
Terint,
corum
n fla.
mor.
ur de
n, ut
z uno
Curent
com-
sertim
n in-
tur a
s sol-
anon

Canon II. *Parochi officium sacrum Sæcul. XVI.*
pro fidelium requie feria secunda cujusque A.C. 1584.
hebdomadæ, si fieri possit, aut saltem fe-
ria secunda primæ hebdomadæ cujusque
mensis festo duplici non impedita, vel alio
commodiore die celebrent.

Canon III. *Sacella ad anniversario-*
rum celebrationem instructa a fundatorum
Successoribus reparentur, & juxta eorum
institutum officia in eis religiose celeb-
rentur.

Canon IV. *Non contrahatur, neque*
differatur, immutetur, aut innovetur ordo
divini officii propter celebrationem anni-
versiorum, sed semper horis, & locis
consuetis dicatur.

Canon V. *Non fiat officium defun-*
ctorum diebus dominicis, nisi pro deposi-
tione mortui, vigiliæ autem, quæ pro
defunctis illa die dicuntur, tantum post
vesperas solemnies celebrentur.

Canon VI. *Cæmeteria ad sepelien-*
da Christianorum corpora per Episcopos
juxta Ecclesiæ, aut alio idoneo loco be-
nedicantur, & a profanis locis discernan-
tur: & quæ olim muris cincta fuerint,
in pristinum statum restituantur, si po-
puli opes id patientur.

Canon VII. *Non patefiant brutis*
animantibus, neque exsiccandis profanis lin-
teaminibus, aut aliis ejusmodi usibus.

Sæcul. XVI. Canon VIII. In iis nundinæ non
A.C. 1584. fiant, neque ulla venalia exponantur.

Canon IX. Omnes Christiani, qui
bus testamenti condendi facultas libera est,
inter testandum de funere suo, & se-
pulturæ loco mentionem faciant, aut sal-
tem id fidei parentum, & amicorum com-
mittant, quodsi non fecerint, in propria
parœcia, aut in tumulo parentum, pro
arbitrio hæredum, aut executorum in-
humentur.

Canon X. Si testator se alibi, quam
in parœcia sua sepeliri mandaverit, paro-
chus Corpus defundi e domo educandi jus
habeat, & in Ecclesia, in qua sepultura
electa est, dimittat. Salvo tamen ipius pa-
rochii jure, tum in quarta funeraria, tum
in aliis, quæ jure, consuetudine, aut dispo-
sitione testatoris, illi debentur. Si contra
hanc constitutionem regulares, aut alii Ec-
clesiastici fecerint, eave caussa tumultus ex-
citarint, pœnis juris coercentur.

Canon XI. Christianis in agone con-
flictantibus, interrupto pulsu campanæ mo-
neantur fideles pro illis orare: cum vero
migraverint ex hac vita, moneantur iidem
continuo, & longo, ac integro campanæ pul-
su eum obiisse, ut pro ejus anima Deo pre-
ces fundant.

Canon XII. Ritus, & ceremoniæ se-
pulturæ in cantu, luminaribus, comitatu,
& aliis ejusmodi summa cum modestia ser-
ventur,

ventur, ut adstantes ex diligentia eorum ob-Sæcul. XVI.
servatione discant orare pro mortuis, & A.C. 1584.
mortis meditatione ad mores sanctius com-
ponendos invitentur.

Canon XIII. Hæretici ne in iis qui-
dem Ecclesiis, quas fundaverunt, sepelian-
tur, neque etiam insigniorum, aut imagi-
num in iis depingendarum jus sibi vendicent.

Canon XIV. In Ecclesiis sepelian-
tur tantum Prælati, & ministri Ecclesiæ,
Principes, fundatores Ecclesiarum, patroni,
& domini locorum, & qui magistratu ali-
quo cum honore functi fuerint, ac de re-
publica bene meriti, & ii, qui ab anti-
quo in Ecclesiis sepulturæ jus habent.

Canon XV. Non sepeliantur Epi-
scopi, & Canonici extra proprias Eccle-
sias, nisi alibi sepulturam elegerint.

Canon XVI. Convivia post funus
defuncti non siant nisi sobria inter proxi-
mos, consolationis mutuae caussa, & ibi
gratiarum actiones, ac preces pro defuncti
requie communi omnium voto habeantur.

Canon XVII. Curent Episcopi, &
eorum vicarii, Archidiaconi, & visitato-
res, ut anniversaria pro mortuis institu-
ta celebrentur, & quæ a fidelibus legata
sunt, fideliter persolvantur: qui vero ea
retinere, aut occupare præsumperint, ana-
themate feriantur.

Canon XVIII. In quibus Ecclesiis
plura, & varia anniversaria constituta sunt,

Sæcul XVI.

A C 1584

ita ut ad ea celebranda tempus sufficere non possit absque diminutione divini quotidiani officii; statuit hæc Synodus, ut Episcopi auctoritate ejusmodi anniversaria ad certum modum reducantur, & certis diebus celebranda præscribantur, commemoratione tamen semper habita eorum, qui legata, & anniversaria reliquerint.

Canon XIX. Non altius erigantur tumuli, aut sepultura defunditorum in Ecclesiis, in choro præsertim, nisi forte Prælatorum, Regum, & principum: ceteris vero id non liceat, sine auctoritate Episcopi, cum caussæ cognitione.

Canon XX. Persolvantur jura testatorum, & alia, quæ lege & consuetudine Episcopis, & Prælatis debentur, sub Censuris Ecclesiasticis.

Canon XXI. Episcopi sint executores testamentorum in iis, quæ pertinent ad pias caussas.

§. XCVII.

Titulus decimus septimus de traditionibus.

Labb.
pag. 1086.

In titulo decimo septimo de Traditionibus quatuor occurunt Canones, quorum primus ita proponitur: si quis universam doctrinam Ecclesiasticam, ad expressum contextum scripturæ, nihilque, nisi quod in ea continetur, pro vero tenendum,

& tra-